

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Bergemann Johannes Niemann

Disquisitio De Mundo

Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729242277>

Druck Freier  Zugang



A. Bergmann.
R. u. phil. 1619.

DISQUISITIO
DE
M U N D O

Quam
Universi creatore, & sospitatore, Deo
nstro assistenti

In Illustri Rosarum Academia

PLACIDA DISPUTATIONE HUMA-
nissimis Dominis Collegis ventilandam
exhibent,

P R A E S E S

M. A N D R E A S Bergemann
Juterbocensis Saxo,

E T
R E S P O N D E N S

J OHANNES N IEMANNUS
Holsatus.

Ad diem 9. Januarij, horis, & loco solitis.



A N N O C H R I S T I A N O
In Initio CreatVs est MVnDVs.

R o s t o c h i
Typis suis exscriptis JOACHIMUS PEDANUS.

1619.



THESES I.

NMundo etatem agere, quid vero
ille? vel ignorare, vel inquirere nolle, ne de-
mentia argumentum cum dedecore conju-
ctum. Etenim homo qui studet sese praestare
ceteris animantibus, summa ope niti debet, ne
vitam silentio transfigat, veluti pecora, que
natura prona, atq; ventri obedientia finxit, monitore Salust: in
principio De Conjur. Catil.

II.

Hoc ipsum cum animis nostris reputantes, non potuimus
non facere, quin ingredieremur augustissimum illud natura
Theatrum, quod excellentissimis Majestatis coloribus comple-
xus est ille.

Divum pater atq; hominum Rex,
scilicet

Opus magni mirabile Mundi
divinissimam illam structuram, & corporis, & animi oculis con-
templando, viresq; ingenij ad arcana natura meditanda
experiendo.

III.

Te igitur o Deus Deorum, ex quo, & per quem omnia
constituta sunt, atq; ordinata, l. de Mondo c. 2. cuius praesidio na-
tura viduata subsistere nescit, & sine cuius afflato nemo un-
quam magnus fuit, (Cic. l. 2. de natura Deorum in fine.)
veneramur supplices, ut hisce orsis successus largiaris prospe-
ros, quo nobis fructuosa, nomini vero tuo augustinissimo gloriose
meditemur, & dicamus,

IV.

Hic vero Mundi disquisitionem ordiens, & ipsam sibi ob-
stare

A 2

stare

stare magnitudinem, & rerum diversitatem mentis aciem
abrumperem, animadverto, ideo quod solent, qui terrarum
situs pingunt, mibi faciendum reor, totam, puta, ejus imagi-
nem brevi quasi tabella complectar, ut documenta ejus sumere
volentibus longa inquisitionis labor absit.

V.

Nomen vero Mundi Romanum, græcumq; τὸν κόσμον, ab
Ornatu, & magnificentia, originem traxisse, haut abs re asse-
ritur: Ipsum vero equivocatione, qua laborat, & non nemini
imponere possit, liberandum. Sunt vero nonnunquam
illa vox pro Mundo parvo, videlicet homine, vel etiam brutis
animantibus, ut patet consideranti §. 17. c. 2. l. 8. Phys. 2.
Pro parte mundi, eaq; vel superiori, vel cum primis Inferiori
ejus q; varijs mutationibus, ex mente Conimbr: 3. Pro Ordi-
ne & digestione universorum, qua à Deo, & per Deum asser-
vantur. L. De Mundo cap: 2. quam significationem impræ-
sentiarum maxime attendimus.

V I.

Nomen vidimus, rem ipsam nomine contentam, age dispi-
ciamus, ideo verba divini præceptoris ex c. 2. lib. De Mundo,
huc accersimus. Mundus est systēma, ex cālo, terra, & illis
naturis, quæ in hisce contenta sunt, coagmentatum.

V II.

Sunt autem Duo cum primis facile summa capita, ad quæ
potissimum in hoc negotio, quisquam acriter animum intende-
re, omnisq; de Mundo disputatio revocari potest, imò verò de-
bet. Etenim quæcunq; naturalis Philosophus, de Universo di-
sputat, vel concernunt ejus principia, vel accidentia. Ut
vero telam nostram, à principiorum tractatione ordiamur,
ex generali physices doctrina, ea esse in dupli differentia, cla-
ret. Vel enim intrinsecam corporis naturalis constitutionem
dicunt,

dicunt, vel extrinsecè ad ejus generationem promovendam
concurrunt. In priori classe reponuntur materia, & forma.
In posteriori Efficiens, & Finis.

VIII.

Materiam Mundo attribuit, Divinus Praeceptor L. 1. de
Cælo §. 93, que vero illa sit consideranti textum 95, 97, & 98.
innotescet, omne nimirum Corpus sensibile, & naturale, in pri-
mis vero corpora quinqu simplicia, juxta mentem Archangeli
Mercenarij in dilucid. p. 49, & Zarabel. de nat. sc. cōst. c. 1. p. 43.
vel ut habet definitio Mundi modò allegata: materia mundi, est
cælum, terra, & qua in hisce sunt. E. Mundus prout jam est
constitutus, componetur ex cælo, quatuor Elementis, Corpori-
bus mixtis, inanimis, & animatis, metallis, fossilibus, plantis,
animalibus. Alia enim materia est mundi constituendi, alia
constituti, & ut praesentis considerationis est, qua si non ritè
distinxeris, tuo merito errabis.

IX.

Hac brevissimè de Mundi materia dicta sunto, formam
ejus inquiramus, quam si quis probè observarit atque excusserit,
non maximam partem crumnali hujus cognitionis labore suble-
vabitur. In hujus verò enodatione mentis indagine percur-
renda Entis aggregati, ex quorum censu etiam Mundus cen-
sendus natura, & Indoles, ad quam etiam nomenclatura sy-
stematis juxta nonnullorum, non de vulgo mehercules erudi-
torum, calculum, nullam non operam adferre poterit. Ideo
Mundi Formam dicimus nihil aliud esse, cum Magyro l. 2. c. 1.
Th: II, quam unicum illum mirabilem, & perfectissimum or-
dinem, quo res illæ inter se connexæ & sapientissimè copulatae
sunt. Idem sentit Joh: Vel curio l. 2. c. I. p. 145.

X.

Quod si querat quis ad quam unitatis rationem refera-

A 3 tur

tur Mundus, respondebo ad unitatem ordinis eorum, qua ab uno ducta principio in eundem unum tanquam in finem proprium deducta convenienter & inter se, & in illo Scal. Excer. 6. sect. 2. Vel ut hanc rem explanat Archangelus in dilucid. edit; Lipsiensis p. 51. Mundus non est compositum per se unum unitate aliqua essentiali, quia compositum per se unum requirit materiam unam, qua in potentia est, ex qua fit unum per se cum forma dante esse, ut inquit Philosophus 8. Metaph. c. 15. Nam vero Mundus non constat ex una materia, qua sit in potentia, quia ejus materia, ut inquit ipse sunt omnia corpora naturalia, & sensibilia. Sed Mundus dicitur unus, unitate aggregationis & ordinis prout componitur ex pluribus ad unum primum ordinem habentibus. Ex quo consequitur, quod Mundus non habeat unam formam substantialem, à qua dici posset compositum, per se unum, Hactenus ille.

XI.

Hicce præfatis à Mundi forma Avicenna Colchodeam, Averrois Cælum, & Suessani Deum, removemus & abigimus. Nec ejus sententia assentimur qui sic de Mundi formâ disputat. Nos dicimus quod figura Sphærica est Mundi forma, de qua verificatur, quod plurificabilis sit, & quod aliud est esse secundum se, ab eo quod habet in materia, ita ut Mundus ex materia, & forma ita definiri queat, Mundus est Corpus compositum, ex omnibus corporibus sensibilibus, & naturalibus Sphærica figura contentum. Corpora enim naturalia sunt materia, sphæricitas autem est forma; Hactenus ille.

XII.

Nec ut cum Platone, qui animam formam Mundi tutatur, faciamus, ulla nos urget evidens necessitas, imò absurditates, qua hanc sententiam comitantur plurima nos avocant. Quas vide sis apud Magirum, & alios, locis notis, & allegatis. Si uero hac sententia ad sanum & tolerabilem sensum, quod plurimos

rimos attentasse videmus, revocari possit, non adeo grandem dictam Platoni scribendam ducimus.

XIII.

Cause formalis sic cognite adiudicimus efficientem. Flagit enim instar esset, cum de Mondo dicere instituerimus, tractatu si minus exquisito fortasse; at certe qui sat esse possit ad formulam doctrinae crassiorem, intactam pricipuam Mundi partem principemq; praterire, censente authore de Mondo c. 6. Hujus igitur efficientem Sacer Codex Deum nostrum gloriosum unum Essentia, & trinum personis agnoscit, & predicit. Cujus rei documentum ex Cap. I. Gen. Ps. 33. Job. I. & plurimis locis alijs extat. Quod nos, non argumentis Aristotelis edocti, sed sacra scriptura oraculis persuasi, firmiter credimus, divinitus revelatae veritati plus tribuentes fidei, quam vanitati ingenij, & acuminis humani, quod in rebus divinis magis cœcutire, quam noctua oculos ad Clarissimum Solis Lumen, Aristoteles ipse prodidit. Liebl. I. Phys. p. 38.

XIV.

Scaliger quidem Exer. 61. s. 3. & ex. 3. Arist. Deum ter Opt: Max: mundi crearem agnovisse evincere intendit, adducendo duo loca, ex Lib. 2. de generat, & corrupt: testimoniunq; Averrois commentatoris supra Aristotelis libros de Cælo qui dicit: Aristotelem non omninem negare Generatorem, sed nostratem; qua sit & in subjecto, & è contrario. Quid aliud, addit de suo Scaliger, diceret Christianus? Etenim hac ratione è nihilo factum intellexit. Nam quod est generatum, neq; est generatum è contrario, neq; in subjecto, necesse est è nihilo generatum sit: Hoc autem non nisi ab Infinito fieri potest. E. à Deo. Plura hujus rei Indicia non obscura è C. 6. & 7. de Mondo (si ille liber Aristotelis genuinus) lectori innotescunt. In primis Toletus multus est in hujus assertione. l. 8. in §. 53. q. 6. p. 232.

Verum

... F.

XV.

Verum enim vero licet Aristoteles causam Mundi Effici-
entem sciverit creationem tamen, quæ in tempore ex nihilo
facta est, planè ignoravit. Certum enim & immotum ver-
bum est authoris Epist. ad Hebreos. Cap. ii. v. 3. Fide intelli-
gimus perfecta fuisse secula verbo Dei, ut ex his, quæ non ap-
parebant fierent ea, quæ videntur. Plato quidem Deum
creasse, efformasse, & constituisse mundum hunc, in Timo-
so asserit Scalig. & Magiro, & alijs testibus. Verum ut dicam, quod
sentio, hanc sententiam ab ipsis Judæis sparsam, ab alijs procul
dubio accepit, quam ut accepit, sic posuit, quid illa penitissi-
mis recessibus occultaret, non vidit, neq; nos sane acutius vi-
dissemus, nisi eipsam veritas de Cœlo demissa nobis ostendisset.
Quapropter si philosophi Ethnici sàpè mundum hunc creatum
fuisse ab aliquo authore docentes rectè expendantur, non illi
attribuere veram creationem, sed formationem ex præacente
materia, quam etiam Chaos appellant, intelligemus, illudq;
ex Tertulliano, & Lactantio percipiemus. Frans. Suarez t. I.
disp. 20. s. 1. Etenim materiam mundi Chaos Anaxagoram,
atomos Democritum, plura Elementa Empedoclem statuisse,
vel ipso Aristotele teste experimur.

XVI.

Creationis igitur ignorantia causa est, ut minus rectè
Aristoteles de Mundi initio, & fine senserit. Etenim omnes
Philosophi ante Aristotalem statuerunt, mundum esse genitum
ad eorum habere initium. Primus Aristoteles l. 1. de cœlo, c. 10.
§. 102 eum omnis planè initij expertem proclamat. Genitum
enim sempiternum esse inter impossibilia habet. Et auxi-
lium illud, quo illi nituntur statuentes mundum quidem in-
corrumpibilem esse, nihilominus tamen factum, dicit non esse
verum, in loco allegato. C. 10.

Hinc

XVII.

Hinc nobilis & satis exercitata nobis se se offert controversia, An Mundum non esse ab aeterno philosophice, & quidem apodictice scriptura sancta deposita probari possit, de qua judicium Clariss. Dn. Doctoris Meisneri, praecep. mei honorandi, refero ejusmodi, & quidem non diffiteor probabiliora esse, & magis plausibilia argumenta pro Mundi productione temporali, quam aeterna, quod tamen illa apodictice probari queat, non video, ideoq[ue] creationem mundi colligo esse subjectum & mensuram vel credibile non distinguere & scibile, in cuius rei confirmationem plura reperientur, apud D. Meisn. p. 1. Sob. Philos. s. 3. q. 3. q. 1. p. 765. Cui op[us] est Thomas p. 1. Summa q. 46. art. 2 ubi hanc sententiam offendo. Mundum semper non fuisse, sola fide tenetur, & demonstrative probari non potest. Et Velcuriol. 2. Com. Phys. c. 1. p. 145. Revera de Creatione, vel aeternitate mundi humana ratio nihil certi intelligere potest. Et Scaliger ex. 61. s. 6. Sola religione mihi persuadetur Mundum cepisse atque finem incendio habiturnus.

XVIII.

Keck. refert l. 7. Phys. p. 815. Fortunatum Crellium statuisse, non posse dari ullum exemplum Physice, quo probetur mundum non esse aeternum. Sed cum ab opponentibus urgeretur argumentis bene multis, eò fuisse redactum, ut rem concederet, tandem conclusisse non omnia in Philosophia vera, vera esse in Theologia. Hinc, inquit, Keckermannus primum orta questio hac. Quid de hac relatione, & ipsa recentiendum pluribus monet Dominus M. Slekerius amicus, & fautor meus honorandus, ad l. 7. Keck. paginam supra positam, ad quem redimendi temporis gratia, rei inquisitorem alegamus.

XIX.

Illud saltem hoc loco quero, quo medio Aristoteli persuasum

B

sum

sum fuerit, Mundum esse ab aeterno? & qua intentione illud
asseruerit, quidq; in genere ad argumenta Philosophica Mundi
aeternitatem urgentia, verè, & solidè reponi posse? Primo
igitur ut paucis expeditum demus, dicimus Aristotelem ob-
servasse omne illud, quod fit ex aliquo fieri. Cum illud ipsum
quod non est, tanto intervallo distet ab eo quod est, ut nulla
ratione conjungantur. Hinc Aristoteli semper illud immo-
tum videbatur principium; Ex nihilo nihil fit. Deinde
quia omnes actiones definit per ordinem ad potentiam passi-
vam, & omnem actionem sentit habere conjunctam passionem,
& motum & mutationem, ut constat ex 3. Phys. à principio:

XX.

Secundum plurib; pertractat Thomas p. 1. Summa
quest. 46. art. 1. Rationes, inquit, quas adducit Aristoteles
non sunt demonstrativa & simpliciter, sed secundum quid, scilicet
ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium.
Mundum incipere secundum quosdam modos in veritate im-
possibles, illudq; conatur evincere inter cetera exinde, quod
hanc controversiam: Utrum Mundus sit ab aeterno? referat
inter Problemata Dialectica, de quibus, ut loquitur, non habe-
mus rationes 1. Topic,

XXI.

Verum dicimus cum Pererio, ex prin: l. 15. p. 804. ini-
quum & ineptum esse uno, & alieno loco, quod obiter, quod
exempli tantum Causa dicitur ab Aristot: velle id, ceu ma-
gnum aliquod Argumentum valere contra ea, quae idem
Aristot: alijs permultis locis ut l. 8. Phys. 1. de calo in poster:
parte secundi libri de Ottu & Inieritu, & in fine l. 12. Metaph:
ex professo, propriè, distinctè, affirmativè, afferveranter, &
copiosè docuit. 2. Proinde Aristoteles problema Dialecticum
invocavit, non quod dubitaret, vel apodictice non probari
posse.

posse censeret Mundum esse ab aeterno, verum ob varietatem,
& discordiam Philosophorum ea de questione in utramq[ue] par-
tem differentium.

XXII.

Duo autem Primaria, eaq[ue] falsa fundamenta, quibus
aeternitatis Mundi assertores inituntur, Cum Dn. D. Sennera-
to ex Pererio l. 15. c. 1. statuimus. 1. Creationem esse impossibi-
lem. 2. Deum agere ex necessitate natura, Quorum prius
pluribus destruit Pererius lib. 5. Posterius vero septem rationi-
bus contrarijs expugnat l. allegat: 15. c. 1. Recte enim Taurel-
lus in Triumpho Philosophia p. 240. monet: *Duplicem eo-
rum quae sunt rationem esse, secundum duplices effectuum
Causas, primam videlicet, & secundas. Natura quidem
ut secunda causa absq[ue] materia nihil potest efficere, & ita de
Deo idem, quod dicit Toletus, stulte putarunt, l. 8. c. 2. q. 1.*

XXIII.

Mundi vero Effectus dependet a principio natura supe-
riore, proindeq[ue] effectus naturalis non est, alioq[ue] prout natura-
liter fieri solet modo factus est. Quod ipsum primario sacri co-
dicio Oraculis edocemur, & credendo intelligimus. Quapro-
pter nos non tantum Philosophos, sed & Christianos esse memi-
nerimus, quibus divina edicta omni ratione, & authoritate
potiora esse debent.

XXIV.

Ad argumenta igitur Aristotelica, quibus vel in 8. Phys.
& l. de calo, vel in Metaphys: ad Mundi aeternitatem ostendam utitur & insurgit, dicimus illa non docere, quid na-
tura Author, & Praeses Deus noster in omnes aeternitatum
aeternitates celebrandus, possit. Sed quid natura, ut loquun-
tur, naturata, praestare valeat. Ideo ex principijs non ritè con-
stitutis nihil temere de tanta re erat affirmandum. Quid ve-

B 2

vo in

no in specie ad argumenta vel Aristotelis vel Procli, mundi
eternitatem suadentia confundenda adhibendum, Pererius. l.
alleg. sapientis Viam & modum ostendet, ut & Tolearius, l. 8. c. 2.
q. 1. cum Con: l. 8. c. 2. q. 8.

XXV.

Prorsus autem hic removenda sunt futilles & inutiles illae
questiones, quas curiosi concipiunt, & gignunt, Qualis est
ista: Quid Deus interea temporis ante Mundi creationem
negotij peregerit? an otiosus fuerit? & quae sunt hujus fa-
rinae plures. Etenim licet ex sacris literis hujusmodi hominibus
respondere possimus, ipsum genuisse filium suum, nos elegisse
in Christo, attamen prohibemur sapere ultra id quod divini-
tus nobis revelatum, praesertim in hisce, quae neq; ad salutem
necessaria, querentiq; interdum noxia deprehenduntur. Qui-
bus recte Lutherus, ex August. Er hat diesen fürwirigen flada
der geistlern die Helle gebauet. Abstineamus ergo ab ejusmodi
disputationibus, quae frivola sunt, & adversus ipsum Deum,
ejusq; sapientiam instituuntur, de quibus judicium hominis
Ethnici, & à vera Ecclesia extorris, Ciceronis in fine, l. 2, de
natura Deorum; invenimus tale: Mala & impia Consuetudo
est contra Deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate.
Illa ergo jux captum superant, non rimare, sed per quoddam
pium vocis anagramma mirare.

XXVI.

Ut ergo Mundum creatum sic & eundem interitarum
scriptura duce firmiter credimus. Si vero ex nobis quaras.
Quando Deus finem Mundo sit impositurus, Respondemus cum
Scal: ex exerc. s. s. l. Cum ipsis visum fuerit. Quando vero
hoc futurum ant ante elapsum millenarium sextum, an post
eundem non liquet. Deus enim hac occulta esse veluit
Matt: 24. Alia hic etiam se ostendit difficultas, An Mun-
di interitus futurus sit substantialis, an vero accidentalis? Ut
vero

vero status controversia eo evidentior & certior appareat, paucis modis interitus Mundi secundum diversorum diversas sententias declarandus. Omnes igitur sere Christiani in eo convenient, mundum in extremo die mutationem aliquam esse passarum, cum scriptura sacra passim expressis verbis id testetur. De modo tamen illius mutationis gravis est Controversia. Quidam enim statim, mundum hunc totum secundum suam essentiam, exceptis creaturis rationabilibus, interitum esse, ita ut plane destruatur, & in nihilum redigatur. Quidam vero affirmant. Mundum secundum essentiam quidem totum permansum esse in perpetuum. Sed secundum Accidens quadam mutatum irt ideoq; per interitum mundi nihil aliud intelligunt quam reformationem, & renovationem pristini mundi, ejusq; in alium statum Commutationem. Quidam deniq; affirmant creaturas omnes renovandas, & quasdam igne purgandas censem.

XXVII.

Nos posterioribus valere iussis priori Sacrae scripturae datum, & praecptores nostros secuti haut inviti subscribimus, cuius argumenta, qui desiderat sacrum Codicem, scholas & controversias Theologicas Orthodoxorum audeat, numeroq; non parvo in hunc finem adducta deprehendet. Nec distinctionula cuiusdam nos transversos agat, qua dicit Mundi essentiam aliam esse respectivam, aliam absolutam. Ideoq; (inquit) Mundus manet Mundus, etiamsi non amplius vel generi humano per naturalem generationem propagando vel Ecclesiae ex genere humano colligenda hospitum atq; externa subsidia administraret. Hoc ipsum declarat exemplo Lapidis, qui fuit limes agri. Lapis, inquit, manet Lapis etiamsi non sit amplius limes.

XXVIII.

Ad hoc respondemus, exemplum de Lapis adductum, qui

B 3

fuit

fuit Limes, plane non huc posse applicari. Quis enim unquam dixit de Lapide, quod scriptura de Mundo, illum cum limes esse desit, perire, dissolvi, liquefcere, comburi? aut sicut fumum evanescere? Imbecilliora sanè hac sunt, quam ut illis Mundi interitus essentialis praecaveri, & impediri possit.

XXIX.

Properamus ad finem, de quo Cic. l. 2. de natura Deorū. Omnia quæ sunt in Mundo hominum causa facta, atq; parata sunt, & paulo post. Ut Athenas & Lacedamonem Atheniensium Lacedamoniorumq; causa putandum est conditas esse, omniaq; quæ sunt in his urbibus eorum populorum recte esse dicuntur: Sic quacunq; sunt in omni Mundo Deorum atq; hominum putanda sunt. Ergo summatim dicimus Deum ut hunc Mundum conderet, nihil aliud instigasse, quam summam ejus bonitatem, cuius nos quoq; participes facere liberrimè voluit: ob quam vicissim recte agnoscī & celebrari postulat.

XXX.

Mundum sic per causas suas constitutum, duæ vel maxima comitantur affectiones, quarum altera exterior forma appellatur Sphericitas, Quantitas altera. Prius per expressum habetur apud Aristotalem. l. 2. de cœlo. c. 4. §. 32. ubi Aristotle totam disputationem concludit hisce verbis. Quod igitur Sphericus sit Mundus, palam ex his. Cujus exactissimam rotunditatem vehementer deprædicat, & miratur, quando dicit οὐ τὸν ἀκεραιόν σύγερος γέτωσε, ὡς μηδὲν μήποτε κατέφερεν ἔχει παραληπίως μήποτε μηδὲν τῷ παραγόμενῳ οὐ φαίλει φαινομένων &c. Varia autem rationum momenta ad mundi rotunditatem facientia producere possemus qua tamen, cum brevitatem hic sectemur non proponemus, sed lectorum benevolum ad Physicorum collegia remittemus, uno

jarn

jam probationis modo contenti, qui à partibus totum integrantibus accipitur. Quia in re antecessorem & ducem, sapientia Aquilam habemus, l. 2. de calo c. 14. §. 26. probè & diligenter hanc rem curantem.

XXXI.

Absolvitur autem Mundus extensivè secundum Zabarellus de nat. scient. Const. c. 10. p. 45. quinque Simplicibus corporibus, nimirum calo, & quatuor Elementis. Hæc igitur sphaerica figura esse per spicium fiat, nobis allaborandum. Cum vero per rerum naturam homini hoc denegatum sit, ut in celestem locum Corpore se conferat, & eundem veluti è terra proficiens oculis perlustraret, id quod stolidi illi Aloidæ facere attinarunt, eo fit ut animus humanus hujus viae ducem intellectum nactus, peregrinabundus quasi illuc importetur. l. 1. de Mundo c. 1. Vel ut ejus interpres Apuleius loquitur. Quoniam ipsius intervalli conditione à Mundi vicinia natura nos secretos esse voluit, ideo immensitati ejus, volucrigè curriculo cogitationum nostrarum nos pernitas intimavit. Calum vero circulari corpore constare pronunciatur l. 2. c. 3. §. 17. Quia figura Sphaerica est omnium perfectissima ibid. c. 4. §. 22. Pone enim in Calo præter hanc aliam, vel cubicam, vel pyramidalem, & quæcumque sit, & fateberis sane aliquod vacuum ibi poneendum esse, sicque erit corpus sine loco, locus sine corpore &c. Excute partium cali naturam item instrumenta, quibus Phœnœva observantur, itemque mutationem altitudinis stellarum mutatis gradibus, & tuo Calculo nostram sententiam approbabis. Nec unius terunrij objectum est, Solem & reliqua astram majorem interdum faciem ostendere, circa Horizontem, quam in meridie: Experientia enim testatur id non semper sed interdum contingere. 2. Causa hujus apparentiae est medij variatio, quod crassioribus vaporibus infectum est, & per quod

quod cælestium visibilium imagines, fractæ & majores ad visum nostrum deferuntur. Cujus rei plenior deductio, institutum nostrum paululum immutare, cum hic tantum brevissime omnia delineanda nobis sumpserimus, quæ tamen in ipsa auctoritate expediri potest.

XXXII.

Linquamus Cælum, & terræ appropinquemus, prius tamen per ignis Elementaris Sphærām & aëris Locum nobis magnandum, quæ in transcursu itidem hanc difficeret ad globositatem inclinare percipimus; ignem quidem, quia Sphericō ambitu circumscribitur, aërem vero, quia & aquam & terram cibit, quæ unum constituunt globum, quod jam monstrare in sequentibus annitemur.

XXXIII.

Duplicem ergo horum duorum Elementorum considerationem nos attendere quilibet animadvertisit. Considerari enim possunt. 1. in se, & respectu naturæ propriæ. 2. respectu relativo ad se invicem, quo ad unum globum absolvendum concurrunt, de utroq; breviter.

XXXIV.

Terra respectu sui considerata rotunda evincitur Argumento §. 22. c. 20. Et ubi Deus super terræ circulum vel gyrum sedere dicitur רְשָׁב עַל־חֹמֶת. Hinc Romani ubi maximæ terræ parte potiti essent insigne pomi elegerunt. Hinc Poëta.

Terra pilæ similis, nullo fulcimine nixa,
Aëre subiecta tam grave pendet onus.

XXXV.

Ceterum terræ Sphericitatem, & secundum longitudinem ex diverso Solis, & stellarum ortu atq; occasu, ex diversa Ecclipsium observatione; & secundum latitudinem ex

ex diversis polorum elevationibus, ex diversarum stellarum secundum diversa loca intuitu, dierumq; mutatione, evidenter edocere valeremus, si brevitatis promissæ limites egredi maluerimus. Quam ipsam quoq; umbra, quas spargit, tibi insinuant, & qua supposita multas absurditates, quibus pars contradicens urgetur, premitur & opprimitur; effugere, & declinare poteris.

XXXVI.

Terram missam faciemus aquam accedemus, refrigeriumq; ab illa præstitemur. Ejus vero rotunditatis experimentum facturi mare descendant, experientur, si a portu solverint, se paulatim terra aspectum amittere, nulla alia, eaq; genuina de causa, nisi ob tumorem maris interjectum inq; ipsa carina constituti turres, & alia signa in littore posita non videbunt, qua tamen in summitate mali ipsis conspicua sient. Contempletur etiam hujus desiderio flagrans aquas pinguedini inpersas, guttulas decidentes, lapidesq; excavantes, easq; in arenam incidentes, parvis orbibus globatas. Quin ponamus poculum aliquod usq; ad imum aqua refertum, huicq; immittamus annulos, causamq; scrutemur, cur aqua uon effluat? An non propter aquam in tumiditatem assurgentem id evenire dicendum.

XXXVII.

Verum Cur multis sim in hisce, ad illud tandem deviendum, quod aqua & terra respectu sui invicem Considerata unum constituant globum quod ut paucissimis tangamus, patere poterit ex aqua terra immixta, qua in fodinis metallicis, & alijs Cavernis conspicitur. 2. Ex Phanomenis non absimili modo, & in terris, & aquis variatis.

XXXVIII.

Hac de Universi globoestate. Ejus Quantitas etiam

C

paue-

pauculis pertractanda. Rectè autem monet Magirus Mundi Quantitatem, aliam esse Continuam, aliam discretam, Secundum illam dicitur finitus, Secundum hanc unus. Mundum igitur finitum esse Magirus l. all. tribus fundamentis liquidum facit, quæ ex ipso Cognosci poterunt. Deinceps queritur, Mundus sit ne unus: ubi accuratè hac duo distinguenda, an mundus sit unus, & an Mundus sit unum, Prius enim numeri posterius Essentia unitatem dicit Estq; illa, quæ habet ea, quæ ad essentiam, integratatem vel complementum talis Entis in suo genere perse, & intrinsecè requiruntur. Hinc rectè docetur à quibusdam, si vel maximè plures mundi essent, quisq; tamcn illorum unus esset.

XXXIX.

Unum vero mundum esse, non plures philosophus. l. i. de calo. c. 8. & 9. & 12. Metaphys. c. 8. quibusdam ratiunculis persuadere satagit. Quam mundi Unitatem etiam sacris paginis probè edocemur. Sin vero ulterius, queras, an possint esse plures mundi, tum fortè aliter responderet Aristoteles, aliter Christianus, de quo pluribus Suarez disp. 29. s. 2. Cum quo Colligimus & concludimus. Prater hunc mundum alium, creabilem, certum, affirmare autem fuisse creatum, temerarium esse.

X L.

Et sic Mundum peragrimus, quem liberrimè Deum condidisse intelleximus, ideo ejus summam bonitatem deprendamus, quem ex nihilo negativo productum à summo cunctum audivimus, ideo ejus potentiam miramur, quem ordine absolutissimo, & mirabili gaudere perspeximus, ideo summi creatoris sapientiam cognoscimus, cui nos meritò immortales debemus gratias, quas & agimus, & agemus infinitis seculis.

¶(0)¶

PARO.

P A R O D I C O N.

Ad Ornatiſſimum, ac Doctiſſimum

D N. R E S P O N D E N T E M,
ad Oden 10. lib. 2. Carm: Horatij.

Rectius vivis, NIEMANNE, Musas
Semper vigendo, neq; dum laborem
Cautus horrescis, neq; vana turbæ
Scommata curas.

Aureum quisquis Sophiæ saporem
Diligit, doctus caret obsoleti
Sordibus vulgi, caret improbando.

Laudibus astu.

Sæpius Musis reparatur ingens
Gloria, & fluxis meliora gazis
Dona, quæ nunquam minuit vetustas
Omnia demens.

Durat æternum, metuit ruinam
Raro, quod Musis benè præparatum
Pectus. Ingentes licet usq; curas
exigat almüs.

Famæ Honos. Non si grave nunc & olim
Sic erit, quondam facili supernam
Marte Musarum superabis arcem &
templa serena.

Rē


Rectius in cunctis, animosus atq;
Fortis appare, sapienter idem
Docta conquires Charitum secundo
Nomina plausu.

THOMAS GUDENIUS
Rendsburg, Holstatis.

HUMANISSIMO
D.N. RESPONDENTI
Phylicè disputanti

INgenij excellentis opus, scrutarier ortus
Et varias rerum solide internoscere causas
Quis neget? Hoc postquam multis Natura negavit:
Non etenim cuivis doctas contingit Athenas
Visere & Aonidum cultissima templa sororum.
Gratulor hinc NIEMANNE tibi, cui dexter Apollo
Ingenij robur concessit, ut abdita rerum
Principia, & varias possis requirere vires
In quaeis cum mundi causam non infima laus est
Ipsius & veram recte novisse figuram.
Hinc tua prudenter sumit primordia Musa.
Quo poscit reliquos citius superare labores.
Perge igitur constanter: Habet quoq; præmia virtus
Hinc tibi surget honos, fama & post fata superstes
Quam non mors delet, non innumerabilis auferit
Annorum series, venturi & tempora secli

GEORGII MAURITII
Eckerf. Hollsat.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729242277/phys_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729242277/phys_0023)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729242277/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729242277/phys_0024)

DFG

PARODICO

Ad Ornatisimum, ac Doc-

D N. R E S P O N D I

ad Oden 10. lib. 2. Carm.

R Ectius vivis, NIEMANN
Semper vigendo, neq; di-
Cautus horrescis, neq; vana

Scommata curas

Aureum quisquis Sophiae sa-
Diligit, doctus caret obsole-
Sordibus vulgi, caret impro-

Laudibus astu-

Sæpius Musis reparatur inge-
Gloria, & fluxis meliora ga-
Dona, quæ nunquam minu-

Omnia demens.

Durat æternum, metuit ruin-
Raro, quod Musis benè præp-
Pectus. Ingentes licet usq;
exigat almüs.

Famæ Honos. Non si grave n-
Sic erit, quondam facili sup-
Marte Musarum superabis ar-
templa serena.

